dictis, uidelicet euacuando, aut cum potione aquæ ligni Indici, uel cum unctionibus, siue cũ suffumigijs, & alijs ingenijs iam dictis, quoniã sunt remouentia istas occultas proprietates, & sic domino auxiliante à quo cuncta procedunt, unamquanq; Neapolitani morbi dispositionem sanabis. Dicta itaque hæc à me satis sint in negociosissima urbe morante, futurum est ut quæ cœpta iam sunt de alijs ægritudinibus & curis, expectes, quæ eodem domino fauente perficiã. Adesto igitur domine supplicationibus famuli tui, & huic nostri opusculi sigillationi, ut ea quæ tuo nomine, tuaq; protectione cœpi, tuo nomine & protectione finiantur.

NICOLAI MASSAE DE MORBI NEAPOLITANI CVRA FINIS.

NICOLAI POLL CAESAREAE MAIESTATIS physici de cura morbi Gallici per lignum Guaycanum libellus.

De præparatione ægroti ad curationẽ per lignum. Caput I.

IN primis igitur qui ab hoc morbo exitioso liberari percupiuerint, etiã quantumuis male per ipsum deturpati fuerint, purgari debent ab humoribus peccantibus, præmissis tamen, si opus fuerit, digestiuis appropriatis iuxta medici periti consiliũ, qui quidem medicus in primis uirtutis robur membrorũ principalium, operationẽ complexionis innatæ ab acquisita distantia, & ipsius humoris abundantis peccantisq; qualitatẽ bene pensitauerit: quamuis etiã dixero aliquos inueniri, qui ad tantam, imò ad extremam resolutionem reducti sunt, ut in eis nullus fortassis humor purgari queat, nisi ille qui per lignũ Guaycanũ educi solet, & talibus non

uideur competere euacuatio. Certas præterea ponere descriptiones digerendi, purgandiq; quemlibet humorem, superuacaneũ existimo, tum quia ægrotus uel puer, uel iuuenis aut senex, uir uel mulier est, tum quia regionis cõsuetudo, proprietas indiuidua &c. quæ sapiẽs medicus nouit, modum diuersificant digerẽdi, purgandi, atq; diætandi. Insuper aduertendũ est, in quo etiam plurimi medicorum conuenerunt, dictum morbum fomentum suũ habere à phlegmate salso innaturali, necnon melancholico humore: quare non incongruũ iudico, imò necessarium, huiusmodi humorum rationẽ habere unà cum alijs humoribus purgandis.

De diætandis Alemanis, aliter quàm Indis, aut Hispanis.

Caput II.

OBseruare oportet uolentẽ curari à prædicto morbo, in custodienda diæta supradictas cõditiones, ut sexum, ætatem, regionem, cõsuetudinem, & similia: aliter enim diætandi in uirtute debili quàm forti, aliter in ægritudine acuta quàm in chronica, aliter in assuetis uti cibo pauco, quàm nõ assuetis, aliter in adolescentia quàm in senectute, aliter in regionibus frigidis quàm in calidis, & alijs id genus: id quod fit, aut propter corporum, aut propter complexionum, aut propter morborum diuersitatem. Indi enim habentes regiones calidissimas, tenui diætæ & subtili assueti sunt tempore sanitatis, & ideo tenuissima diæta aliquãdo in ægritudinibus suis utuntur: quamuis etiã nimis tenui respectu degentium in Europa, quemadmodũ in eorum curationibus conscriptis uideri potest. Has igitur tenues diætas in corporibus Alemanorum nõ laudamus, tum propter operationes naturales, corporaq; robustiora, tum etiã propter climata frigidiora, cõsuetudines, proprietates, & similia. Verum experiẽtia talium, & quæ sequũtur, in corporibus Alemanorum uerificabuntur apud omnes honestos, & maxime doctos medicinæ professores, quibus ut ueritatis amatoribus ea moderari, & quate-

nus

nus illis conſcientia dictauerit, hanc noſtram lucubra=
tionem augere uel minuere liceat.

De obſeruandis in tempore quo ſumitur aqua ligni. Cap. III.

EXaminatis diligenti ſtudio conditionibus, quas o=
mnino pro fundamento & regula noſtræ digreſ=
ſionis ab Hiſpanorum diæta ſtatuimus, & æger, ut ſu=
prà dictum eſt, purgatus fuerit, aut non purgatus, ſi mi
nus indiguerit, ſequenti poſt purgationẽ die pars quar=
ta cibi & potus, quem in ſanitate ſumere conſueuerat,
ſubtrahatur: tertia die dimidium: quarta die partes tres
aut plus, minus ue, ſecundũ iudiciũ aſtantis medici non
negligentis illam Hippocraticã monitionem, Tenues
& certæ diætæ ſunt fallaces &c. Eadem quarta die aut
ſequenti mane ante diem ſumere incipiat potum ligni
Guaycani, de quo infra, maneatq; in lecto coopertus
& ſuperdormiat, & cum ſudare inceperit, conſeruet ſe
in ſudore ab aëre extraneo, & cum panno calido lineo
ſemper interim ſudorem abſtergat, patiaturq; illum do
nec uirtus toleret: ſufficiat tamen in primis diebus per
duas aut tres horas: deinde innouet linteamina, mane=
atq; in lecto uſque ad horam prandij, aut ſi uult, ſurgat,
manendo tamen ſemper in ſtupha uulgò dicta, aut in
alio loco tepido, potius quàm calido, die noctuq; ſe cu=
ſtodiendo ab aëre frigido aut uentoſo, atque calore ſu=
perfluo, ne ſiti nimia incẽdatur. Hora decima uel unde
cima ſumat in prandium, partem duntaxat tertiam, aut
quartam cibi, ut ſuprà dictũ eſt, ita ut ſemper cum mul=
ta fame ſurgat à menſa, ſitq; in menſa cõtentus uno fer=
culo, & rariſſime duobus: potius enim cibi quãtitas fu=
gienda eſt in hac curatione, quàm qualitas, cæteris pa=
ribus. Neq; primis nouẽ diebus, aut duodecim aliquid
dandum eſt de carnibus, niſi debilitas uirtutis poſtula=
uerit, tunc enim detur caro, aut ſuccus eius, ut medico
uidebitur. Hora quinta ueſpere cœnet, ſitq; cœna mi=
nor prandio, & cibus facilioris digeſtionis. A cœna ad
quatuor horas digeſto cibo iterum ſumat potum dicti li

gni, quemadmodum mane fecit, & meminerit quod utrobique potus ſemper ſumatur calidus: deinde uadat in lectum & dormiat, non tamen adeò cooperiatur ut ſudet, ne ſomnus impediatur: ſi uero ſudor ſua ſponte fluxerit, patiatur, quoniam id fortè à ſagaci fit natura: mane reuertatur ad potum & cætera omnia, ſeruando ordinem ſudandi, abſtergendi, præſeruandi ſe ab aëre, & cæteris omnibus ſupradictis, & hoc reiteret ſingulis diebus uſq; ad octo uel nouem uel decem dies, ut uidebitur, nõ exeundo domum, neq; exponendo ſe aëri frigido, aut calori nociuo, neq; interim augẽdus eſt cibus. Expletis uero ſupradictis diebus, pluribus etiã, uel paucioribus pro modo uirium, ſequentibus alijs decem augeatur cibus parumper: deinde alijs decem diebus uſq; ad triginta auctior etiam adminiſtretur, & ſic deinceps uſque in finem curationis, etiam ſi pluribus quàm triginta uel quadraginta diebus durauerit: quod cognoſces ex uehementia & malignitate morbi. Si uero non tandiu morbus perdurauerit, ut fieri ſolet, cum recens eſt, aut ægrotus nondum à morbo nimiũ moleſtatur, tunc ſimiliter diætim & proportione ſeruata, uelocius, tardius ue, pro morbi uehementia, & uirium robore, cibus erit augendus. Hoc item obſeruandum eſt de aëre, ne ei ſubitò ſe exponat frigido uel calido nimium, ſed paulatim, ut dictum eſt de diæta. Potum uero ligni ſine intermiſſione ſumat uſq; in finẽ curationis, niſi cõſtipatus fuerit, aut aliàs purgari oportuerit, de quo infra dicemus. Poſt finem primorũ dierum aëre exiſtente temperatæ calido atq; quieto, poterit aliquando exire domum, & poſt parum temporis iterũ redire: aëri uero frigido aut uentoſo, nequaquam per totum tempus curationis ſe exponat: abſtineat penitus interim à coitu, etiam ad duos uſq; menſes poſt perfectam curationẽ, quæratq; uoluptates, & gaudia honeſta: fugiat iram, triſtitiam, ſolicitudinem, & ſimilia: unde bonum erit apud ſe continue aliquem habere ex charis ſuis, utputa libe-

ros,

ros, affines, cognatos, muſicos, & id genus alios: utaturq; per aliquot menſes bona & cõuenienti diæta, caueat ſemper à ſatietate nauſeatiua, à potu uini ſuperfluo, à piſcium uſu, & rerum generantiũ phlegma ſalſum, aut melancholiam, ut ſunt carnes antiquæ ſalitæ, piſces itidem ſaliti, porcinæ carnes, & auium degentiũ in aquis, quoniam ea ad recidiuam diſponunt. Procurent etiam ſingulis diebus habere beneficium uentris, quod ſi natura fieri nequit, fiat arte, ut inferius dicemus. Interdiu nequaquam dormiat, & ideo conandũ eſt ſemper habere ſodales apud ſe, quemadmodum Alemani faciunt tempore phlebotomiæ.

De cibis conuenientibus durante curatione. *Caput* IIII.

REſtat ut cibos & potus enumerem, quibus nutrirendi ſunt per tempus curationis. Sunt igitur conuenientes carnes animalium omnis ſpeciei aptæ humano eſui, item uolatilium, præter degentium in aquis, ut ſunt pulli, capones, gallinæ iuuenes, & ſimilia: quæ omnia uel aſſa, uel elixa, præparari poſſunt, habita tamen ratione appetitus patiẽtis. Item oua tremula, aut ex cortice ſorbilia, uuæ paſſæ, pruna paſſa, auenata, ordeata, cichorium, ſpinachia, betæ, caules romanæ, ſimiliter rapæ, ſi conuenire poſſunt: ſi uero ex aliquibus prædictis cibis faſtidium aut nauſea ſubſequatur, corrigãtur cum tollente faſtidiũ, ſicut in carnibus cum ſuccis malorum granatorum, muzorum, arantiorum, ſucco acetoſæ, & ſimilibus: & pro plebeis eſt acetum bene ſaporoſum, hæc enim prohibere ſolent putrefactionem cibi in ſtomacho, & maxime ſi ex carnib. fuerit: alios cibos quoſcunq; prædictis oppoſitos, durante ligni potione omittant, niſi indiuidua proprietas, aut aliqua ſupradictarũ conditionum aliud expoſceret, ut ſi fuerit mulier prægnans, id quod iudicio medici aſtantis relinquo.

De potu conuenienti. *Caput* V.

POtus ipſorũ per tempus curationis eſt multiplex. Primus, ſumatur lignum quod remãſit poſt deco-

ctionem & colationem primam, & ſupponantur libræ duodecim aquæ ſimplicis, & bulliant ad conſumptionẽ medietatis: mox coletur, & colatũ reſeruetur in potum cum alijs cibis ſumendum, aut inter eos, ſi adſit neceſſitas bibendi. Hic potus eſt principalis, & omnino obſeruandus durante curatione ſecundũ quoſdã: quem ſimiliter commendo, ſi aliud quodpiam non impediuerit: quare & alios ſuperaddidi potus propter Alemanorũ diuerſitatẽ. Secundus, bulliat in aqua ſimplici aniſum, aut marathrũ, cum modico cinamomi. Tertius, bulliat maſtix, & parũ galãgæ, ſimiliter in aqua ſimplici. Quartus, & eſt potus qui tantũ debilioribus aut aſſuetis conceditur, bibat uinum clarum, album, odoriferum, lymphatum cum aqua ſimplici: hic potus poteſt concedi poſt x. aut xij. dies, durante etiam ſumptione aquæ ligni uſq; in finem. Quintus, bibat aquam ſimplicem, electam, & nulla mala qualitate infectã, in qua remollita ſit mica panis, & illam concedimus iſtis qui ſentiunt rugitum, & longam ciborum ueluti fluctuationem in ſtomacho propter uſum aquarum decoctarum, ſicut per experientiam nouimus: quod in eis ideo cõtingit, quia cum bonæ aquæ decoquũtur, redduntur aptiores corruptioni: quod nõ euenit aquis malis, ut quotidie experiuntur qui præparant ceruiſias: quoniam aquæ malæ per decoctionem fiunt meliores: & hoc innuit Auic. tertia primi in cap. de regimine aquæ & uini, ſic inquiens: Et aquæ quidem electionẽ iam demonſtrauimus, & ſimiliter emendationem eius ex ea quæ mala eſt. Vbi expreſſe inſinuat, tantum malarũ aquarum eſſe emendationem, nõ electarũ. Similiter in ſecunda primi cap. de diſpoſitionibus aquarũ, ubi tantum aquas malas docet rectificare, & nullibi bonas per totum cap. Hæc autem hac tantũ de cauſa adduximus, quia quidã ex modernis ſibi perſuadent omnem aquam crudam eſſe, & per cõſequens decoquendam, quaſi omnes aquæ indigeant rectificatione, aut maturatione, cum tamen cru-

ditas

ditas non nisi uegetatis insit, è quibus minime est aqua cum sit elementum simplex non nutriens, sed tantum nutrimentum penetrare faciens, & substantiã eius rectificans, quemadmodũ ponit Auicenna secunda primi, capite nunc allegato.

De modo soluendi uentrem ægri cum constipatus fuerit.

Caput VI.

CAeterum sumptio dictæ aquæ solet quamplurimis inducere stipticitatẽ uentris, puta in octo uel decem diebus, aut etiam in quindecim, & tunc uentris solutio hoc modo procuranda est. Omittat patiens bibere uno uel duobus diebus, & loco aquæ, suaq́ hora sumat puluerẽ dicti ligni Guaycani præparati hoc modo: Accipiatur Guaycanũ & teratur bene, quousq́ in puluerem redigatur, qui excribretur subtiliter, atq́ ex hoc puluere capiat æger in aurora pondus unius ducati cum dimidio, & dissoluat modica aqua decoctionis anisi, bibatq́ calidã, deinde quiescat, non dormiendo, neq́ sudando, in loco temperate calido, & tardetur cibus ad quinq́ uel sex horas; sumat etiam dictum puluerem, si opus fuerit tertia die, nã omnino purgabit. Ego in corporibus Alemanorum darem pondus duorum ducatorum, habita ratione conditionum supradictarũ, puta uirtutis, consuetudinis, regionis &c. & in sumendo hunc puluerem nullam dicunt esse difficultatem, neq́ pericula. Si uero acciderit aliquẽ ægrũ hoc modo non posse laxari, recurrendũ erit ad enæmata, & medicinas lenitiuas, aut etiam euacuatiuas humorũ secundũ consilium medici astantis. His demum peractis redeundũ est ad potionem ligni, sudores &c. si necessariũ fuerit, & hoc faciat usque ad perfectam curationem, quæ si prolongata fuerit, & iterum constipatus est, post certos dies purgandus, aut leniendus erit iterum, modo & ordine supradictis: tempore tamen purgationis nequaq́ immutet diætam.

De præparatione decoctionis ligni Guaycani. Caput VII.

NVnc ad præparationem decoctionis ueniendum est: accipiat igitur in nomine Iesu saluatoris nostri ligni Guaycani, quod sanctum plurimi Hispanorum cognominant, nigri aut crocei tincti lib. i. & comminuatur in frustula minima, quantum possibile fuerit, & in uase mundo posito superinfundãtur aquæ simplicis & electæ ℔. xij. & bulliant lento igne, quousque consumpta fuerit medietas: ita enim sufficit pro mediocriter infectis: pro multũ uero infectis, bulliat ad consumptionem duarũ partium, aut plus etiã, si extremè infectus fuerit: nam quanto plus in decoctione cõsumitur, tanto fortior operatio est. Seruata igitur mediocritate decoquendi, ut suprà dictum est, & colata aqua, remanebunt duodecim doses pro sex diebus cõtinuis, cum dosis eius decoctionis sit libra media: unde oportet singulis sex diebus nouam decoctionẽ fieri, & procedere modo & ordine prædictis; iterum uero dum decoquitur, spuma quæ supernatat, colligatur, & in uase mundo seruetur, exicceturq; : nam in puluerem redacta, & ulceribus, quæ in morbo Gallico fieri solent, superposita, est mirabilis in cõsolidandis illis. Lignum aũt quod post colaturam, aut expressionẽ remanserit, seruetur: nam cum penuria ligni fuerit, tunc libræ uni talis ligni, addatur libra media ligni recentis, & fiat decoctio cum tanta quantitate aquę quantam prius diximus, coquendo ea quousq; medietas aquæ sit consumpta: deinde sumatur decoctio quemadmodum superior, quæ pro rei necessitate idem quasi operabit. Est præterea alius modus præparationis dicti ligni per modum syrupi, quo similem efficaciã, quam decoctio habet, plurimi Hispanorum experti sunt, cuius præparatio est talis. Sumat ex Guaycani ligni redacti in frustula minutissima, ut suprà, ℔. i. & superfundantur aquæ simplicis electæ ℔. vi. & bulliant ad cõsumptionem duarum partium, postea coletur cum expressione, deinde accipiatur mellis bo-

Lima solet atteri.

ni

ni ℔.i.aquæ fontis ſiue ſimplicis libra una cum dimidia, & coquantur ſimul, & ſemper deſpumentur, quouſq; aqua euaporata fuerit: hoc mel deinceps ita deſpumatum ponatur ſimul cum decoctione iam ſeruata, bene mouendo ſimul cum ſpatula lignea, quouſq; ueniat ad modum ſyrupi, cuius erunt ſumendæ ℥.iiij.uel v.in mane, & totidem in nocte poſt horas quatuor à cœna, & operabitur idem quod decoctio ſupradicta: operat autem magis per urinam & egeſtionem, quàm per ſudorem. Si uero quis uoluerit, ut per ſudorẽ magis operetur, accipiat de ſyrupo ℥.ij.uel vij.ſecundũ ægroti uirtutem, ut Hiſpani dicunt ſe eſſe expertos.

De inæqualitate temporis curationis. *Caput* VIII.

TEmpus curationis morbi Gallici per Guaycanum ualde inæquale, & diuerſum eſt: nam ut experti referunt ex India uenientes, Indi plebei multum etiam infecti, in decem diebus plus uno die aut minus, curam perficiunt ſeruantes diætam tenuiſſimã: nobiliores uero & reguli, curam perficiunt in una lunatione ſeruantes etiam tenuem diætam, licentiorem tamen plebea. Hiſpani autem curantur aliquãdo quindecim diebus, aliquando uiginti, aliquando triginta, aliquando quadraginta: pauci tamen prolongarunt curam ad ſexaginta dies. Cauſam huius inæqualitatis non iudico eſſe aliam, niſi uel fortitudinem morbi, uel debilitatem uirtutis membrorum principalium non potentis tam facile actuare medicinam ligni, aut ſimile quid, puta iram, aut triſtitiam, quam profecto extremè perniciosam in huiuſmodi morbo homini eſſe experientia ipſa rerum magiſtra comprobauit: unde concludendum erit eouſq; miniſtrandam eſſe medicinam, quouſq; æger uiderit ſe ſanum euaſiſſe. Sunt enim multa Alemanorũ corpora adeò per argentũ uiuũ, ſiue aliud malũ regimen deſtructa, ut illa parum aut nihil in eis operari poſſit: quare meo iudicio, etiam nõ ſine fructu ægri, medico aſtanti, & fideli, rem omnem puto eſſe cõmittendam.

De assumptione ligni Guaycani secundũ modum ex Hispania allatum. *Caput* IX.

ACcipe lignum Guaycanum, atq; illud ita rade, ut ex eius minutissimis rasuris impleant cyathi duo, quas deinceps rasuras pone in olla noua cum quindecim cyathis aquæ, & fac ut bulliant quousq; cõsumentur tres aquæ partes, reliquum uero postquam fuerit refrigeratũ, coletur, & ex hoc bibe unum cyathum mane, alium in meridie, & alium in nocte: & caue à frigore, ac ab aëre, nec egredere lectum. Præterea ægrotans tenui diæta debet uti, nec aliud comedere, quàm panẽ biscoctũ, pruna passa, uel uuas passas: nec bibere uinũ, nec aquam: quod si à siti uexaretur, parum bibat decoctionis supradictæ, quæ propter malum saporem quem habet auferet uoluntatem bibendi: itaq; patiens utatur hoc regimine per octo uel nouẽ dies, post quos per sex uel septem dies sequentes poterit comedere uitellũ aliquem oui coctum in aqua cum pauco sale: postea uero per uiginti aut uigintiquinq; dies succedentes comedat in prãdio, & cœna, quæ tempestiua sint, pullos paruos: sicq; agendo ulcera etiã ad ipsa ossa profunda consolidabuntur, & dolores tollentur. Post sumptam autem aquã ligni caueat à frigore, & à comestione rerum acrium, & ciborum malorum, & in primis à coitu, nec bibat uinum aut aquam pura, sed uinũ bene lymphatum: & cum hoc regimine bibendo dictã aquam, etiam si per decennium uexatus fuisset patiens à morbo Gallico, & haberet ulcera profundissima, euadet. Si fortè autẽ ulcera non consolidentur per totum tempus quo sumitur aqua, non est timendũ, quia ita etiam post tempus sumptionis operatur uirtute sua, ut ulcera omnia consolidet. Sed notandũ est huiusmodi decoctionem esse faciendam singulis duobus uel tribus diebus, quia melius est ut recẽs bibatur, purgat enim per secessum, uomitum, urinam, & sudorem, ut in Hispania expertum est.

FINIS.

BENEDI

BENEDICTI DE VICTORIIS FAVENTINI, PHILOSOPHI & medici exquisitissimi, de morbi Gallici curandi ratione Liber.

Vandoquidē & ante nos multi, ijdemq; expertissimi medici, de morbi Gallici curatione non pauca scripserūt, circaq; originem illius ac causas & signa nō mediocrē insumpserunt operā, nos non abs re hoc loco de his uerba facere prætermittemus: quod autem ad uerā medendi huius morbi methodū attinet omnia compendiose trademus, ita tamen, ut nihil eorū negligatur quæ uel à ueteribus commode reperta sunt, uel à nobis feliciſſime cōprobata. Cum itaq; prima morbi Gallici affectio ex cōtagione, ut omnes profitētur, ortū habeat, ideo primi membri affectio, hoc est uirgæ, sic curari debet. Primum apparente in uirga ulcere, pustula, uel corrosione (hæc enim fœdarum mulierū commercia cōsequi solent) fiat lenitio uentris, & materiæ afficientis minoratio, modo infra scripto: R. florum cassiæ nouiter tractæ ʒ.i. confectionis Hamech ʒ.ij. misce, & fiat bolus cū zuccaro, exhibeaturq; per tres horas ante diē. Sequenti uero die quatuor uentosæ super nates è directo uirgæ affectæ, cum scarificatione apponātur. Quod si his peractis, ulcera uirgæ augmētari non cessent, consulo ut quarta die fiat phlebotomia ex uena communi, quantitate quatuor unciarum: demū quater per diem abluat ulcera cum sequēti decoctione, quæ illa optime mundificabit & absterget. Interea tamen obseruabis omnibus modis, quod postquam uirga cōmode abluta & abstersa fuerit, extendatur die sequenti unguentum supra peciam lineam albam & subtilem, ac loco exulcerato applicetur. Decoctio autē talis est: R. granorum myrti, rosarum rubearum, corticum granatorum, ana manip. i. bulliant in sufficienti quantitate uini albi uscq; ad tertiam partem, & colentur: postea uero cum cola-

tura, uirga, ut ſuprà dictum eſt, abluatur. Vnguentum uero hoc eſt: R. unguenti albi unc. iij. aloës hepatici ʒ. i. tutiæ præparatæ ʒ. iij. camforæ, grana vi. aluminis uſti ʒ. i. s. uiridis æris ʒ. i. olei roſarum ℥. s. miſce, & in mortario plumbeo bene ducantur quouſq; fiat unguentum: & ſic conficiendo, facta ablutione, totidem per diem renouetur unguẽti applicatio. Nam hoc pacto ulcus uirgæ ſine ulla dubitatione curabitur, citra alias medendi intentiones. Eo uero tempore quo uirgæ curatio expeditur, non eſt negligenda ipſius morbi Gallici incipientis curatio, ideo patiens capiat infrà ſcriptũ bolum in aurora. R. diaſenæ lenitiui unc. i. electuarij roſati Meſue drach. ij. miſce, fiat bolus cum zuccaro: altera autẽ die capiat infrà ſcriptum ſyrupum in aurora, continuando per ſeptem dies perpetuos. R. oxymellis ſimplicis, ſyrupi de fumoterræ, mellis roſati colati, ana unc. s. aquarũ fumiterræ, ſcabioſæ, cicoreæ, ana unc. i. miſce. Poſtquã uero tertio die ſyrupum acceperit, conſulo ut per duas horas poſt aſſumptionem ſyrupi faciat phlebotomiam baſilicę dextri lateris, quantitate quinq; unciarum. Cæterum finitis his ſeptem diebus aſſumptionis ſyruporũ, octaua die capiat ſequentes pilulas: R. pilularum de fumoterræ, pilularum aurearum Nicolai, ana drach. s. miſce, & fiant pilulæ numero quinq;. Nona die conſulo ut intret balneũ ſtuffamúe, & abluat corpus quamdiligẽtiſſime, & prouocet ſudores ſine appoſitione cucurbitularũ: ſtet quoq; quietus per tres dies, ac ſtudioſe obſeruet uictus ſui rationem, comedendo cibos facilis concoctionis, boni nutrimenti, idq; parcius quàm antea: bibat etiam uinum pauciferũ & medij coloris inter album & rubeũ quod ceriſlinũ appellatur. Poſtea autem capiat ſecundam purgationem, primum digerendo materiã per ſeptem dies cõtinuos cum infrà ſcripto ſyrupo. Rec. ſyrupi de lupulis, de fumoterræ, mellis roſati colati, ana ℥. s. aquarum bethonicæ, lupulorum, acetoſæ, ana ℥. i. miſce. Cum autẽ ter de hoc ſyrupo aſſumpſerit,

pserit, mane usurpato prius enęmate lenitiuo fiat phlebotomia saluatellæ lateris sinistri in manu prope digitũ minimum, quantitate v. ℥. deinde cõtinuet prædictum syrupum usq; ad octauam diem, qua capiat per tres horas ante lucem sequentes pilulas: ℞. pilularum fœtidarum, aurearum Nicolai, de fumoterræ, ana ℈. i. misce, cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero v. Facta huiusmodi purgatione, quiescat iterũ per tres dies, & bono utatur regimine, prout superius dictũ est. Post hæc iterum purgetur corpus, digerendo prius materiã cum infrascripto syrupo per septem dies continuos. ℞. oxymellis compositi, syrupi de fumoterræ, de endiuia, ana ℥. s. aquarum acetosæ, fumiterræ, lupulorũ, ana. ℥. i. misce. Tertio die assumptionis prædictorum syruporum consulo ut fiat phlebotomia per apertionem uenarum hæmorrhoidarũ una hora post meridiem, cum appositione sanguisugarum ad quantitatẽ trium unciarum, aut ad maximum quatuor: deinceps octauo die, hora assumptionis medicinarũ capiat hanc sequentem medicinam: ℞. diasenæ lenitiui, diacatoliconis, ana ℥. s. confectionis Hamech, electuarij succi rosarum, ana ℈. iiij. misce, & dissoluantur cum decoctione cõmuni florum & fructuum in sero caprino facta, in qua bulliant polypodij quercini ʒ. ij. epithymi ʒ. s. & fiat potus. His omnibus factis purgationibus quiescat denuò, ac per quatuor dies bono utatur regimine. Quinta uero die ingrediatur stuffam, & idonea præcedẽte ablutione cũ aqua calida, cõsulo ut ei applicentur sedecim cucurbitæ, scilicet quatuor in spatulis, quatuor in manibus, quatuor in coxis, quatuor in brachijs, cum scarificatione & cum sufficienti sanguinis extractione. Demum autem consulo ut adornet sibi sudatorium humidum, quod tali pacto conficitur: ℞. florum camomillæ, meliloti, anethi, fenugræci, seminis lini, ana manip. ij. absinthij, menthæ, pulegij, ana manip. i. s. calamenti, abrotoni, iuæ, herbæ paralysis, ana manip. i. s. chamæpityos, chamædryos,

anisi, fumiterræ, lapatij acuti, rosarum rubearum, spicæ, squinanti, ana manip. i. bulliant hæc omnia in quantitate aquæ unius mastelli cum dimidio, ad consumptionē quartæ partis: deinde facta forti expressione ipsarū herbarum coletur prædicta aqua: eidē aquæ addatur nitri, aluminis, ana ℥. iiij. sulfuris uiui ℥. ij. & hæc omnia iterū insimul bulliant in prædicta aqua, unica forti bullitione, & iterum prædicta aqua coletur & usui reseruetur. Vsus prædictæ aquæ talis est: quolibet mane in aurora, procurata uentris lenitione, præparent uas ad magnitudinem corporis humani, & imponant aquam prædictam in uase illo quantū expedit, & corpus totum aqua cooperiatur usq; ad furculam gutturis, excepto capite. Demum bene uasculum illud cooperiatur, ne uapores exhalent, & sic moretur in prædicto balneo per unam horam si sustinere queat, aut ad minimum per dimidiū horæ. Quod si eo tempore aqua infrigidaret, detineat aliquantisper eius aquæ partē semper calidā, ut postea adiungendo ipsi frigidæ, tota fiat calida. Deinde uero non exeat balneū donec corpus patientis bene siccetur & abstergatur, ac ingrediatur statim lectum calidū, dormiatq; duabus horis continuis si fuerit possibile. Quod si id fieri non posset, stet diligenter coopertus pannis, & sudet quantum potest. Post hæc lectum egrediatur, & bene exiccetur, ac mundetur corpus suū, & induat uestes, nec se subitò aëri exponat frigido. Post exitum autem balnei immediate accipiat zuccari bolum infrascriptum: ℞. zuccari rosati ℥. s. theriacæ, uel mithridati optimi ℈. ij. misce. Quiescat uero sequenti die, quo utatur exercitio mediocri, neq; corpus defatiget. Tertia die adueniente iterum balneetur modo prædicto. Quarta autem die loco zuccari rosati capiat sequentes pilulas: ℞. agarici trochiscati ℈. i. fiat pilula una. Postero die iterato continuetur balneum modo dicto, rursumq; sequenti die zuccaro rosato cum theriaca utat. Peracta uero alia balneatione eandē pilulā deuoret, ac hoc pacto balnea

ista

ista continuet uscq; ad septem dies. Si uero ex ipsis notabilem perciperet debilitatem, ut sufferre amplius difficulter possit, maiore interpollatione lauacra hæc instituat, hoc est, uel de duobus, in duos dies, uel tertio quoque die, secundũ quod uirium robur id tolerare possit. Interim uero post balnea, ingressus in lectũ calidum, ac sudorũ prouocatio, semper obseruanda sunt. Præterea animaduersione dignũ est quod huiusmodi humidũ sudatorium magnopere conferat ad mundificationẽ pustularum quæ in corpore apparent, ac ad resolutionem materierum præparatarũ ad faciendas gummositates in corpore, imò ad ulcerum quoque curationem, & ad abolitionem dolorum in morbo isto Gallico cõtingentium, in quacunq; tandem hi corporis parte fuerint. Si autem patiens tolerare non poterit humidum sudatorium, fiat aliud, quod tale est: ℞. furfuris grossi in pecia ligati ℔. x. florũ camomillæ, calamenti, maioranæ, saluiæ, rorismarini, betonicæ, hyssopi, prassij, ana manip. i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ, usque ad ebullitionem fortem: deinde remoueãtur ab igne, & in prædicta aqua extinguãtur lapides molares prius bene accensi, & post extinctionem stante refumatione ipsius aquæ cooperiatur ægrotus cum linteamine facto admodum tendæ, & æger accomodet sese ad uas illud effumationis aquæ, sicq; pannis indutus fumum recipiat continuando per tres aut duas horas ad minimum, cõtinue huiusmodi lapides molares in tali aqua extinguendo. Magis tamen probo humidũ illud quàm istud siccum, quoniam magis aperit ac resoluit. Factis porrò his sudatorijs per septẽ uel octo dies, cõsulo ut capiat semel in aurora infrascriptas pilulas: ℞. agarici trochiscati, pilularum de fumoterræ, aurearũ, ana ℈. i. misce cum syrupo uiolato, fiant pilulæ numero v. Si uero uniuersis his transactis æger non releuetur à morbo Gallico, imò pustulæ & dolores membrorum crescant, uel in priori statu perseuerent, consulo ut septem diebus continuis,

aut ſi id per uirtutis debilitatem non liceret, alterius ſaltem membra dolentia, excepto capite, unà cum iuncturis omnibus, infraſcripto unguento illiniantur: & eſt unguentum deſcriptum à Meſue in antidotario de unguētis ad ſcabiē, in quo ſine periculo mirabilē reperi effectum. R. axungiæ porcinæ ℥.v. olei laurini, argenti uiui, ceræ mundæ, thuris albi, maſticis puluerizati, ana ℥.ij. ſalis cōmunis ℥.viij. ſucci plātaginis, ſucci fumiterrę, ana ℥.ij. cōfice ſimul ceram & axungiam expurgatam à tela ſua, & oleum laurinū immitte in uas glutinatum cum ſuccis, & bulliant donec liquefiant, & adde puluerem ſalis, olibani, & maſticis in ſupradicta quantitate, quæ & bulliant uſq; ad completā decoctionē, & poſtea remoue ab igne, & adiunge argentū uiuum cum ſaliua extinctū, & cum pauco olei prædicti miſce bene cum ſpatula, & fiat unguentū: cum quo priuſquam iuncturæ, & membra dolentia inungantur, conſulo ut experiatur, inungendo tantū palmas, manus, & pulſus manuum, & pedū, eaq; bene & fortiter fricet. Quod ſi huiuſmodi unguentum ſic inunctū non compleat curam, poteris inde iuncturas, & membra dolētia linire. Et nota quod huius unguenti conſuetudo ratione mercurij eſt afficere oſſa putredine, ac lædere os, palatum, & gingiuas. Conſulo ergo, ad remittendū & prohibendum ingens nocumentum in membris futurum, apparente etiam prius calore, & aliquali ardore in gingiuis & palato, ut defenſetur guttur à putrida corroſione: gargarizet per unum integrū diem, ac in ore detineat infraſcriptam mixtionē: R. aquæ ordei libras iij. aceti acerrimi albi lib. s. miſce, fiat gargariſmus. Quod ſi tandem membra hæc exulcerata ſint, gargarizet diu noctuq; ex lacte uaccino, & pluries poſt gargarizationē hanc utat paululū in ore de melle roſato, & ſic cum lacte & melle roſato procedat quouſq; oris ulcera ſanentur. Quod ſi æger prædicta inunctione nō ſanatur, uigeantq; adhuc uel ulcera, uel gummoſitates, uel dolores Gallici, uolo

ut

ut deueniatur ad decoctionē ligni Guayaci. Et iterum nota quod maius iuuamentū succedit assumendo decoctionē ligni præcedente inunctione ex mercurio, quàm econtrà: imò cauendum est ab exhibitione decoctionis ligni Guayaci in principio morbi Gallici: & antequam habeas modū potandi aquam ligni, præscire debes modum conficiendi illius: ℞. ligni Guaycani ponderosi, abundantis medulla, recentis, solidi, & non porosi neque putridi, nō de trunco, ℔.i.s. puluerizetur, uel cum lima subtiliter limetur, aquæ fontis claræ ℔.xx. misce, & bulliant insimul usq; ad consumptionem medietatis aquæ, deinde colentur, & colatura cum aqua colata reseruetur. De ista prima aqua detur cōtinue in potu ipsi patienti cum assumit cibum suū, uel cum interdiu contigerit sitis, de ipsa aqua sic colata bibat. Deinde accipe prædictum lignum iam semel bullitum, & ei adde ligni Guaycani similiter puluerizati ℥.ij. aquæ fontis ℔.xx. & bulliant usq; ad consumptionē medietatis, deinde coletur, & de aqua colata dabis patienti ℥.viij. in sero cum uadit dormitum, & mane in aurora loco syrupi. Atque sic continuando uespere & mane dabis patienti ℥.viij. dictæ aquæ tepidæ. Deinde autē prædicto ligno prius bullito adde ligni Guayaci subtiliter puluerizati ℥.vi. aquæ fontis ℔.xvi. bulliant usque ad consumptionem duarum medietatum, deinde colentur cum raro colatorio, & de prædicta aqua medicabuntur ulcera, gummositates, membra dolentia, iuxta modum infrà dicendum. Et nota quod si patiēti post assumptionē aquæ superuenerint tormina & intestinorū dolores, recordetur in primis duabus aquis continue bullire ℥.i. anisorū bene à puluere mundatorū, uel fœniculi: & hic est modus conficiendæ aquæ Guaycanæ. Modus autē operationis omnium istarum aquarum infrà scribetur. Vsus autem huius aquæ secūdæ talis erit: Aqua huiusmodi confecta, cōsulo quod quolibet uespere in ingressu lecti capiat ℥.viij. tepidæ: pòst uero eat dormitum & stet bene

coopertus pannis, ita quod nulla aëris frigiditas, neque uentus aliquis possit ipsum attingere: ideo laudo quod fenestræ & foramina quælibet & ostium cameræ bene obturata sint. Laudarem etiam si aut per totum tempus assumptionis aquæ, aut ad minus per dimidiũ, moram trahat in lecto, clausis & obturatis fenestris. Quod si contingeret ipsum surgere, quod in tẽpore dicto non laudo, sit bene pellibus uestitus & capite diligẽter coopertus, quiescat, nõ laboret, neque fatigetur, & omnia consueta relinquat exercitia. Mane uero die apparente tantum de prædicta aqua tepida loco syrupi accipiat, & supra ipsam dormiat sufficienter per duas horas ad maximum uel per tres, & cum ista aqua secunda cõtentetur in solis istis potionibus. Aduentãte uero hora prandij, quæ erit per sex horas post assumptũ syrupum matutinum, disponatur sibi prandiũ tale: Capiantur ʒ.vi. panis biscocti usque ad summum, quo de pane comedere debet, ipsumq; cum passulis enucleatis, cum amygdalis dulcibus mundis, ac cum iuiubis Damascenis comedat ad modestam saturitatem. Cum autẽ expedierit ipsum bibere, bibat de aqua decoctionis factæ, toties quoties uel in hora cibi uel post cibum illum sitis uexauerit: de die autem nihil penitus comedat, solo prandio contentus, cum rebus dictis comestibilibus, nullã aliam escam inquirendo, quoniam esset eius mors. Vespere iubeo ut nihil omnino comedat, sed contentetur tantũ unc.viij.potu aquæ secundæ, ut diximus, & sic continuet usq; ad quadragesimum diem inclusiue. Si autem percipiat patiens uirtutem nõ posse illud tempus sustinere sine uirium imbecillitate, consulo ut de sero comedat dimidiũ illius quod de mane comederit, non mutatis tamen dictis cibarijs: uerbi gratia, si unc.vi. de mane comederit, comedat tres de sero, & sic de singulis. Atq; sic conetur procedere ad quadragesimũ diem. Quod si non posset perdurare usq; ad quadragesimum diem, consulo ut ei concedatur pullus in prandio paruus per

duos

duos dies cõtinuos cum pane solo, uesperi autẽ uel non comedat, uel si comederit solum panem biscoctum comedat, ut dixi. Transactis uero duobus diebus pulli comestionis, iterum sequatur primam diætam. Quod si interim sentiat se debilem, iterum comedat alium pullum mane per alios duos dies, & sic usq; ad quadragesimum diẽ procedat, intercalatis diebus carnes pullinas comedendo. Nota tamen quod si possit totam primam diætam quadraginta diebus tolerare, diætetur usq; ad hunc ipsum terminum, nõ permutando ullo pacto dictam uictus rationem. Si uero sufficere non ualeret, aggrediatur secundam diætam, neq; eam immutet usque ad præfatum tempus. Quod si eam quoq; sustinere nequeat, usurpet tertiam, quæ est in comestione pulli. Porrò si æger molestatur morbo Gallico cum doloribus uel ulceribus uel gummositatibus, consulo ut mediocriter cum tertia aqua iam suprà cõfecta, sic operando calefaciat ipsam aquam quantũ possit patiens sufferre, & madefaciat faldellas de stuppa linea in prædicta aqua, ac exprimẽdo aliqualiter cum manibus ipsis, apponat eas particulæ patienti, apponendo secundã supra primam, & tertiam cõsimiliter supra secundã: deinde uero membrum fascia sufficienter fascietur: & hic modus curationis bis in die obseruetur, mane scilicet ante cibum & uesperi: & hoc pacto tandiu procedat quousq; totã diætã iuxta modum dictũ perficiat. Et animaduerte quod in medio temporũ huius dictæ diætæ, puta uigesimo die, patiens debet accipere infrascriptas pilulas: R. agarici trochiscati, pilularũ de fumoterræ, aurearũ, ana ℈. i. misce, fiant pilulæ nu. v. easdem quoq; pilulas sumet finitis quadraginta diebus. Quod si intra tempus diætæ patiens nõ haberet lenitionẽ uentris, cõsulo ut sibi paretur enæma ex sola aqua secunda cum uitello oui, zuccaro, sale, & oleo cõi quantũ fuerit expediens. Atq; hæc dicta sint de uera medendi morbi Gallici methodo.

FINIS.